בג״ה:

DISSERTATIO CHRONOLOGICA
De
Anno Ebræorum Eccleſiaſtico,

Quam
in Celeberrima LEUCOREA
Sub PRÆSIDIO

ÆGIDII STRAUCHII, S.S.
Theol. Licent. Mathem. Infer. Prof. Publ.
nec non Hiſtoriar. Subſtituti,

PLACIDÆ Συμφιλολογούντων COLLATIONI
EXHIBET

HEINRICUS Schmidt/
Zſchopa Miſnicus,

Ad diem VII. April. Anno MDCLV.
EDITIO SECUNDA.

WITTEBERGÆ,
Ex officinâ Typograph. MICHAELIS Wendt,
Anno MDCLXI.

58700(29)
WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

Qvod Deus Bene Vertat!

Vemadmodum DEUS T. O. M. primus temporis Autor extitit, dum Luminaria & reliquas ſtellas, quæ motu ſuô tempus menſurant, ſapienter condidit; ita etiam ipſe optimam temporis diſpoſitionem & diſtinctionem invenit. Poſtquàm enim populum Iſraëliticum, omnipotenti manû, ex Ægypto eduxerat, mox novam quoq; anni formam, eandemq; convenientiſſimam propoſuit. Erat hæc *Lunæ-Solaris*, ut hodie audire ſolet, quâ utriusque Luminaris, *Solis*, in anno, *Lunæ* verò, in menſibus, ratio habebatur. Quam felicitatem invidens Ebræis Satan, non ſolos eâdem frui voluit; Hinc Græcis Oraculum conſulentibus & ex eodem quærentibus, qui anni forma optima ſit, Lunæ Solarem iſtam cæteris antepoſuit, præcipiens, ut annum κατὰ σελήνην & καθ' ἥλιον agerent; etſi de ſuo plurima addiderit & optima depravaverit totius generis humani infenſiſſimus hoſtis. Cæterùm, ſi operæ pretium eſſe vulgo quoque judicatur, inquirere anxiè in ordinationem temporum Gentilem, &, non ſine magna difficultate, vel ê membranis, eruere *Ægyptiacorum*, *Nabonaſſareorum*, *Olympiadicorum*, *Veterum Romanorum* & aliarum gentium, annorum formas, multò magis digna ventilatione materia erit, quæ in anni Judaici, ab ipſo Deo inſtituti & approbati, forma delineanda, occupatur. Quia verò, juxta tritum illud veriverbium δύσκολα τὰ καλὰ eſſe ſolent, neq; omnis difficultas in paucisſimis pagellis explicari poteſt, hâc vice generalia tantùm perſequemur Tu Pater Temporum Annue Clementer! Sit itaq;

THESIS

THESIS.

Anni Ebræorum, ſi non Politici, ad minimum Eccleſiaſtici, neq; merè Solares, neq; merè Lunares, ſed Lunæ-Solares fuerunt, id eſt, reſpexere Judæi, antiquiores quoq;, ad motum utriusq; Luminaris.

§. 1. Conveniunt in hac theſi omnes ferè Chronologi, ſi paucos excipias quorum ſententias conſiderare operæ pretium eſt. Etſi enim in Ægypto aliquandiu degerint Judæi, cujus loci incolæ annos ſecundum Solis motum agebant, eundemque ab autumno auſpicabantur. Quod de iisdem teſtatur *Diodorus Siculus*, Hiſtoricus Clariſsimus, qui circa tempora Julii Cæſaris floruit, &, prout ipſe teſtatur, 30. annorum operam in ſuam Hiſtoriam impendit, Lib. 1. Biblioth. ait enim: Οἱ δὲ Θηβαῖοι φασὶν ἑαυτοὺς ἀρχαιοτάτους εἶναι πάντων ἀνθρώπων, καὶ παρ' ἑαυτοῖς πρώτοις φιλοσοφίαν τε εὑρῆσθαι καὶ τὴν ἐπ' ἀκριβὲς Ἀστρολογίαν. ἅμα καὶ τῆς χώρας αὐτοῖς συνεργούσης πρὸς τὸ τηλαυγέστερον ὁρᾶν τὰς ἐπιτολάς τε καὶ δύσεις τῶν ἄστρων. Ἰδίως δὲ καὶ τὰ περὶ τοὺς μῆνας αὐτοῖς, καὶ τοὺς ἐνιαυτοὺς διατετάχθαι. Τὰς γὰρ ἡμέρας οὐκ ἄγουσι κατὰ σελήνην, ἀλλὰ κατὰ τὸν ἥλιον, τριακονθημέρους μὲν τιθέμενοι τοὺς μῆνας, πέντε δ' ἡμέρας καὶ τέταρτον τοῖς δώδεκα μησὶν ἐπάγουσι, καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ τὸν ἐνιαύσιον κύκλον ἀναπληροῦσιν. id eſt, *Thebæi*, (qui ſcilicet Thebas Ægyptios incolunt) *vetuſtiſſimos omnium mortalium ſe eſſe prædicant, apud quos omnium primos Philoſophia & exactior Aſtrologia ſit inventa; adjuvante ipſos terræ ſitu ad ortus & occaſus ſiderum illuſtriùs cognoſcendum: modoq; peculiari menſes & annos apud ſe ordinatos eſſe. Nam dies non ad Lunæ, ſed Solis motum exigentes, tricenos Menſibus dies tribuunt, & poſt duodecimum quemvis menſem quinque dies cum quadrante intercalant; eoq; pactô circulum annuum abſolvunt.* His paria habent *Strabo* L. XVII. Geogr. *Herodotus* Libr. II. aliique. Confer *Edvvardi Simſonij Angli* Paraſcev. ad Chronicon

nicon Cathol. cap. VI. Poſteà tamen divinitus aliam methodum Chronologicam, eandemque exactiſſimam, edocti, Ebræi priorem maris rubri aquis obliterarunt. Obtinuit itaq; in Palæſtina haud tantùm, ſed apud omnes Judæos à primo ſtatim anno Exodico, ejusmodi annorum diſpoſitio, quâ menſes menſiumq; dies, ſacri imprimis, ſecundum Lunæ motum ordinabantur; Lunam enim, quæ citima eſt terræ, conſtituit ad id naturæ conditor, ut ſit perpetuum quoddam ac manifeſtum quaſi Calendarium, quod ubiq; gentium ipſâ accretione & diminutione Luminis ſui, quaſi faſtorum dies notaret, ut *Cicero* eleganter dicit; Cæterùm menſium tempeſtates eædem ferè ſemper manebant, ſecus atque penes Turcas & Arabes contingit, qui eôdem menſe jam autumnum, mox hyemis, poſt veris, tandem æſtatis experiuntur vices, cum annos merè Lunares, id eſt, qui 354. diebus communiter abſolvantur, habeant. Neq; verò votorum compotes fieri potuiſſent Ebræi, niſi crebrius intercalaſſent, & annum iſtum 11. dierum defectum, quô ſcilicet annus Lunaris à Solari deficit, integri menſis additione convenienter compenſaſſent. Hanc itaq; annorum formam Lunæ-Solarem vocamus, רמב״ם de iisdem ita loquitur חדשי השנה הם חדשי הלבנה ושנים אשר אנו מחשבין הם שני החמה: Menſes anni menſes Lunæ. Anni autem, quos nos computamus, ſunt anni Solis. Atque hæc anni forma cum natura & ordinatione Autoris naturæ, Dei, optimè conveniebat. Ad hoc enim Deus luminaria creavit, ut ſint לְאֹתֹת וּלְמוֹעֲדִים לְיָמִים וְשָׁנִים In ſigna, & ſtatuta tempora & dies & annos *Gen. I,* *14.* Neceſſe ergò eſt, ut dicamus Deum ejusmodi formam anni ordinaſſe, ſecundum quam officium ſuum rite exequi luminaria potuerint. Neq; aliter de Luminarium uſu loquitur Regius Pſaltes, *Pſal. 104, 19.* Fecit Deus Lunam לְמוֹעֲדִים in ſtata tempora, Sol ſcit מְבוֹאוֹ reditum ſuum. Idem evincit menſium communis denominatio; quid enim frequentius in Scriptura reperitur, quam ut menſis ירח Lunatio (à יָרֵחַ Luna) nominetur? Finge jam in menſibus ordinandis ad

Lunam non reſpexiſſe Judæos, falſa, vel ad minimum inconveniens, fuerit hæc denominatio, neceſſe eſt. Tandem idem evincit *Joſephi*, accuratiſſimi Hiſtorici, autoritas, qui paſſim, imprimis Lib. III. Antiquit. Judaic. Cap. X. his ipſis utitur verbis: Τῷ δὲ μηνὶ τῷ ξανθικῷ ὃς νισὰν παρ' ἡμῖν καλεῖται, καὶ τοῦ ἔτους ἐστὶν ἀρχὴ, τεσσαρεσκαιδεκάτῃ κατὰ σελήνην ἐν Κριῷ τοῦ ἡλίου καθεστῶτος, τούτῳ γὰρ τῷ μηνὶ τῆς ὑπ' Αἰγυπτίοις δουλείας ἠλευθερώθημεν, καὶ τὴν θυσίαν ἣν τότε ἐξιόντας αἰγύπτου θῦσαι προεῖπον ἡμᾶς Πάσχα λεγομένην, δι' ἔτους ἑκάστου θύειν ἐνόμισε. *Menſe autem Xanthico, qui noſtris Niſan vocatur, & annum exorditur, Lunâ quartâ decimâ, ſole Arietem obtinente, quandoquidem hoc menſe ab Ægyptiaca ſervitute liberati ſumus, ſacrificium, quod tunc exeuntes feciſſe diximus, Paſcha nominatum, quotannis inſtaurare lege jubemur.* Hactenus Joſephus, ê cujus verbis patet Judæos & ad Lunam & ad Solem in annis ſuis ordinandis reſpexiſſe. Neque nervum hujus argumenti infringunt prorſus, qui Joſephi, ut recentioris Scriptoris, autoritatem in hac quæſtione parùm valere aſſerunt. Enimverò ſufficit ex Antiquioribus Scriptoribus hactenus nullum afferri potuiſſe, qui contrarium docuerit, quin potiùs nos, hanc Joſephi ſententiam Scripturæ harmonicam eſſe, probavimus. Prætereà Judæi adeò tenaces erant, quod ritus concernebat, nedum maximè ſolennes, ut Calendarium Moſaicum quoad omnia immutari paſſi non eſſent, etſi aliquis ejusmodi mutationem attentaſſet. Confer *Scaligeri* Canon. Iſag. cap. VI. *B. Dn. D. Bebmij* Manud. Chronol. L. I. Tit. III. c. II. p. 28. *Calviſii* Opus Chronol. cap. XXXVII. p. m. 145. *Ubbonis Emmij* Oper. Chron. Lib. I. *Edvvardi Simſonij* Paraſcev. ad Chron. Cathol. cap. V. *Langij* de annis Chriſti L. I. cap. X. p. 128. ſeq. & ex parte *Dionyſ. Petavij*, Tom. I. de Doctrina Tempor. Lib. II. cap. XXVII. pag. 155. ſeq. Nobiſcum enim per omnia non conſentit Jeſuita.

§. 2. Non poſſumus itaq; probare *Johannis Kepleri*, Mathematici quondam Cæſarei, ſententiam, quâ is annos Solares tantùm Judæos antiquitus habuiſſe aſſerit, & ê contra negat, Lunæ rationem, in annis ſuis, Judæos habuiſſe; Placet

verba

verba ipſa Autoris referre, quæ in Eclogis Chronicis, p. m. 89. ſeq. legere ſunt; Ita enim ille: *Patriarchas quidem ajo uſos eſſe annô Ægyptiô, dierum 365. menſes habuiſſe 12. in his undecim tricenum dierum, duodecimum 35. dierum. Cum autem caput anni Ægyptij ambulet, per omnes tempeſtates anni, in Exodo ex Ægypto id fuit in Autumno, cum Exitus acciderit vere: juſſus eſt itaq; Moſes menſem frugum novarum pro primo habere menſe. Hôc præceptô, pro mobili anno Ægyptio, ſtabilitus eſt annus fixus: hoc ſanè verum. At non ideò ſequitur, pro forma Ægyptiaca etiam Lunarem ſubſtitutam fuiſſe. Scio aliquas objectiones, ſed non præripiam partes adverſariorum. Opponant, corradant, comportent omnia: ego hoc profiteor, annum Judaicum, usq; ſub Macedones, fuiſſe Solarem, minimè Lunarem.* Hactenus Keplerus.

§. 3. Neque verò Keplerus tantùm, ſed etiam *Dn. Johannes Jacobus Hainlinus* theſin noſtram non obſcurè impugnat. Idem enim ille novam prorſus & hactenus inauditam annorum priſcorum, imprimis Eccleſiaſticorum, formam propoſuit. Dum enim in Septenario numero, neſcio quod, myſterium quæſivit, tandem Sibi Ipſi, credo non aliis perſuaſit, DEUM ordinaſſe annum, qui eſſet 343. dierum. Verba Ejus, quæ in Scripto contra optimè de nobis meritum Præceptorem, Ampliſſimum & Excellentiſs. *Dn. Franckenbergerum*, ſub nomine Vindiciarum edito, pag. 29. & 30. extant, hæc ſunt: *Ipſe verò DEus, cum etiam majore temporum metiendorum Syſtemata condere vellet; excepto eo, quod etiam dies uſurpavit, à cœli motu primo dependentes, in cæteris motum Solis prorſus neglexit, & ad Septenarium numerum ſeſe convertit; hebdomademq; conſtituit 7. dierum, cujus, ſeptimum diem, ſacrum eſſe voluit, procul dubio, inter alias, & hanc ob cauſam,* UT SEPTENARIUM NUMERUM ETIAM NOBIS COMMENDARET. *Cùm autem animadverterem, DEum non tantùm hebdomades dierum, ſed etiam annorum inſtituiſſe, nempe Periodum Sabbaticam & progreſſione Geometricâ hanc iterum per 7. multiplicaſſe, atq; Periodum Jubilæam* (Jobeleam debuiſſet dicere, cum nomen ſuum feſtus hicce annus ab eo habeat, quod בְּקֶרֶן הַיּוֹבֵל cornu arietis indixerint eundem Sacerdotes) *introduxiſſe: Inſuper in maximo*

maximo incarnationis filÿ ſui myſterio Dan. c. 9. *per ſolas annorum hebdomades tempora metiri. Quid ſi, cogitabam, DEus in hac progreſſione ad primum ſuum dictum Syſtema, hebdomadem ſcilicet, reſpexiſſet? Et proinde morem hunc DEI imitari volens, ab hebdomade dierum 7. per progreſſionem Geometricam aſcendi ad 49. 343. 2461. 16807. 117649. 23543.* Hæc Chronologus myſticus.

§. 4. Hactenus audivimus diſſentientes potiſſimos, ſingulos enim recenſere atque eorum ſententias referre, inſtituti noſtri ratio prohibet, cum Diſputationem, non Syſtema meditemur. Videndum porrò reſtat, quibusnam armis prodeant in aciem cum veritatem manus conſerentes. *Primò* urgent & imprimis *Keplerus*, defectum teſtimonii ſacri; Ita enim ille locô citatô pag 89. in margine: *Nunquàm juſſit DEus illos obſervare Lunam, ſed menſem primum uſualem, qui erat Ægyptiis Solaris, tempore Chriſti Lunaris quidem, ſed ex cyclo. Secundò*, quia *Eſaias* exprobat Chaldæis c. 47. quod contemplati ſint ſidera, & ſupputaverint menſes, ut ex iis annuncient futura. *Valde hinc veriſimile fit*, pergit Keplerus l. cit. p. 91. *Judæos tunc non ſupputaſſe curſum Lunæ, ne ſpeciem in ſe admitterent hujus augurÿ cœleſtis, tantopere prohibiti*, Deut. 17. *cultus Solis & Lunæ ſerio vetatur; non eſt igitur veriſimile Judæos annum computaſſe ſecundum Lunæ curſum, aut feſta in Novilunio celebraſſe: ne Lunam in vetito aliquo honore habere viderentur. Nam quod Solem attinet, ad quem annus ipſorum erat conformatus, ea ratio jam à mundi Exordio duraverat fuitq; inſtituta, quando nondum ulla Idololatria erat. Et veriſimile eſt pleroſq; poſt Moſen ignoraſſe, unde anno ſua eſſet longitudo. Veriſimilitudo iſta nititur vicinia licitæ ſcientiæ & illiciti abuſus. Nam ubi legislator non manifeſtè & in ſpecie diſtingvit, ibi de rudi populo præſumimus, quod nec ipſe diſtingvat. Tertiò*, quia in ipſa Scriptura Sacra non obſcura videntur extare veſtigia, quorum beneficiô animadvertere poſſumus annum Judæorum ſemper 12. nunquam verò 13. menſium fuiſſe. Atque hoc argumentum urget, præter jam antea citatos, *Thomas Lydiat* quoq; : *Anglus*, quando ait: *Sicut Annus priſcorum Iſraelitarum ſemper incepit*

circa

circa verum æquinoctium: ita fuiſſe ipſum omninò menſium civilium duodecim, videtur conſtare ex 1. Reg. 4. & Chron. 27. ubi memorantur Reges Iſraelitici David ac Salomon conſtituiſſe duodecim duces legionum ordinariarum & Sitarchos regiæ familiæ, ſingulos in ſingulos menſes anni. Nec verò usquam in Sacris literis occurrit mentio plurium, quam duodecim menſium anni. Quartò. Quia populus Judaicus admodum rudis quondam fuit & Aſtronomiæ nequaquàm deditus. *Probandum eſt legitime*, ait iterum *Keplerus, Judæos tam benè fuiſſe Aſtronomicè doctos, quantam hodie cognitionem illius ſcientiæ afferunt ad hanc cauſam. Ego contrarium affirmo, priſcos illos Judæos usq; ad Chriſti ferè tempora in uſu Calendarij, nihil ultra vulgi captum ſapuiſſe. Quintò.* Quia ignoramus, quibus tabulis uſi ſint Veteres Judæi, quantùm fecerint ſpatium menſtruum &c. Audiamus ipſum *Dn. Hainlinum: Hic hîc*, ait pag. 49. Vindic. *itaq; ſe Virum præſtet Dn. Reinholdus, in comprobando anno ſuo Moſaico, à NL. medio incipiente. Et, ſi Judæi ipſi ſuſpecti ſunt, vel Chriſtianum, vel Turcam etiam, barbatum tamen, ut teſtimonium ipſius plus ponderis habeat, aut quemvis alium gentilem producat, qui id legitimô aliquô ſuô teſtimoniô firmet. Vel etiam rationibus agat & doceat:*

(1.) *Quibus Tabulis Aſtronomicis Moſes, Joſua & Seniores populi Iſraelitici uſi fuerint.*

(2.) *An motus Lunæ verus, ex quo medius colligendus eſt, exquiſitiùs ipſis cognitus fuerit, quam nobis hodie, qui poſt tot tantosq; Hipparchi, Ptolomæi, Alphonſinorum, Copernici, Tychonis, Kepleri, aliorumq; labores, nec dum ſatis exactum habemus: cujus defectus in ipſa etiam novilunia media redundat.*

(3.) *Anne etiam uni N. luniorum periodo tribuerint, uti nos, dies 29. H. 12. min. 44. Sec. 3. &c.*

His & ſimilibus quæſtionibus quam plurimis veritatem ad minimum ſuſpectam reddere conatur Dn. Hainlinus.

§. 5. Reſtat jam, ut, poſtquàm rationes adverſariorum palmarias vidimus, ad easdem quoq; reſpondere conemur. *In genere* itaq; monemus ſingula fere argumenta, inprimis *Dn. Hainlini*, videri Sophiſtica, & contra leges methodi formata. Per pleraq; enim nobis onus probandi imponitur, cum tamen

 in

in poſſeſſione ſimus, & Theſin, per multa ſecula pro veriſſima habitam, contra argumenta & objectiones Adverſariorum defendere ſatagamus. Deinde confunditur ſæpius à diverſum ſentientibus modus cum re ipſa. Rem ipſam defendere conamur, id eſt, quod Judæi in annis ſuis, menſibus & feſtis diebus ordinandis ad motum utriusq; Luminaris reſpexerint. Specialiſſimas verò circumſtantias iſtas, de quibus potiſſimùm quærit *Dn. Hainlinus*, nos conjecturari potius, quam ſcire, ultro fatemur; Ferè ut in Aſtronomicis ſufficit tempus apparentiarum cœleſtium accuratè determinaſſe, etſi phyſica motus corporum cœleſtium diſpoſitio nos lateat. Tertiò malè à defectu autoritatis & teſtimonii hujus vel illius Scriptoris concluditur ſæpius in argumentis citatis ad negationem rei ipſius; Quod concludendi genus tamen prorſus vitioſum eſt.

§. 6. His jam in genere præmiſſis facilior erit reſponſio ad argumenta ſingula. In *Primò* enim contra ſingula ferè monita peccatur. (2.) Probandum erat Deum hoc non juſſiſſe Judæos, neque enim de ſingulis ceremoniis & ritibus Judæorum hodiernô die mandata literis deſcripta amplius habemus. (3.) Etſi Deus totidem verbis ipſos non juſſiſſet, ut Lunam cum Sole in tempore ordinando obſervent, ſuffeciſſet tamen divina, hujus inſtituti Ebræorum, approbatio, & (4.) quidni juſſerit eos Deus Lunæ curſum obſervare, qui publicè profitebantur: Pſal. 104, 19. Fecit Deus Lunam לְמוֹעֲדִים in ſtata tempora &c. (5.) Poſitô Deum nunquàm juſſiſſe Judæos Lunam in Calendario ſuo obſervare, neq; ſic quidem aliquid contra nos evincit *Keplerus*. Nunquàm enim, (retorquemus verba propria in ipſum,) Deus juſſit eos negligere Aſtronomiæ ſtudium, & rudi tantum Minervâ Lunæ obſervare curſum. Nunquam juſſit eos Deus annum Solarem Ægyptiorum in Faſtis obſervare. Nunquàm juſſit eos Deus ſub Macedones neglectô annô Solari, adhibere in poſterum annum Lunarem, quod tamen *Keplerus* aſſerit. Putat enim annum Lunarem, poſt Perſarum Monarchiam primum ſub Macedonibus introductum, per univerſam Græciam receptum

& ab

& ab Alexandro in Perſiam & Syriam importatum eſſe. Cum autem Judæa eſſet ſub præfectura CœleSyriæ & Phœnicis, fieri non potuiſſe colligit, quin tandem in anni ratione morem Dominorum vicinorumq; ſequerentur.

§. 7. Ad *Alteram* verò rationem facilè cuilibet patet reſponſio: Scilicet abuſum contemplationis ſiderum; DEUS prohibet, non uſum. Exprobrat Chaldæis quod prædictionibus Aſtrologicis fidem ſuperſtitioſè habuerint, non quod obſervationes Stellarum inſtituerint, id quod patet ex denominatione eorum, quorum Studia DEUS ibidem taxat, dicitur enim de iisdem, quod ſint מוֹדִיעִם לֶחֳדָשִׁים מֵאֲשֶׁר יָבֹאוּ עָלָיִךְ: verſ. 13. Die nach den Monden rechnen was über dich kommen ſoll. Committitur ergò fallacia à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter. Veriſimile verò non eſt Judæos ignorâſſe diſtinctionem inter rei abuſum & uſum. Neq; Legislator tam obſcurè locutus eſt, ut Judæi ſenſum horum verborum intelligere nequiverint.

§. 8. Ad objectionem *Tertiam* jamdudum reſpondere conati ſunt *B. Dn. D. Behm* in Manuduct. L. I. Tit. III. cap. II. *Sethus Calviſius* in Iſagog. Chronol. cap. XXXVII. *Matthæus Beroaldus* in Chronic. Script. &c. Libr. I. cap. VIII. aliique Summa hæc eſt: (1.) agitur in Locis ê Libris Regum & Chronicorum adductis de anno, non Eccleſiaſtico, ſed civili. Quid enim annus Eccleſiaſticus cum Oeconomia Regis commune habet? At de anno Eccleſiaſtico imprimis quæritur. De anno enim Civili facile quis dubitare poſſet, an antiquiſſimis temporibus is Lunaris fuerit an verò Solaris? cum *Joſephus* Lib. I. Antiquit. Judaic. cap. IV. poſtquam de immutatione anni Eccleſiaſtici à Moſe, juſſû DEI, facta, egerat, ſubjungat: Ἐπὶ μέντοιγε ὠνὰς, καὶ πράσεις, καὶ τὴν ἄλλην διοίκησιν, τὸν πρῶτον κόσμον διεφύλαξε. *Alioquid quod ad nundinationes rerum venalium, reliquamq; diſpenſationem anni attinet, nihil de priſtino ritu innovavit.* At habuiſſe quondam Judæos ejusmodi Calendarium, quod cum Ægyptiaco paria fecerit, veriſimile eſt, & plusquàm veriſimile cum in Diſſertatione noſtrâ de tempore Diluvii, aliquando probatum ſit, tempore Patriarcharum an-

 num

num Solarem penes eosdem obtinuiſſe. Ne itaque temerè quicquam aſſerere videamur, placet nobis, quod annum priſtinum civilem attinet, ἐπέχειν. Nemini quidem contradicere, nullius tamen ſententiam noſtram in præſenti facere volumus; dies forſitan diem docebit. (2.) Dici absque ulla abſurditate poteſt, hos duodecim præfectos & Salomonis per menſem intercalarem (quem an pro diſtincto à reliquis numeraverint Judæi, necne, non liquet) vel alternatim, vel conjunctim menſam Salomonis procuraſſe. Quâ tamen reſponſione opus non eſt ut utatur is, qui priorem amplectitur. (3.) Non in ſingulis annis intercalabant Judæi, ſed quoties opus erat ad hoc, ut tempeſtas menſium maneret eadem. Dici itaq; poteſt in dictis allegatis à potiori denominationē fieri. At potiorem partem conficiebant anni communes, cum ſpatio novendecim annorum, hodiernô adhuc die vix ſeptem menſes intercalare ſoleant Judæi. (4.) Unius poſitio non eſt alterius excluſio, habet alias Philoſophorum Canon; Dicitur ſic de numero præfectorum Salomonis, quod eorundem in anno communi, 12. menſibus abſolutô, fuerint 12. non negatur vero, eô ipsô pro augmento menſium anni, numerum præfectorum quoque auctum fuiſſe. Cæterùm, quô eo melius conſtet de ſententia *Thomæ Lydiat, Anglo Britanni*, qui alias, à familiaribus ſuis, homo doctus & harum rerum peritus audit, placet diſcurſum Ejus ê Libro, quem de variis annorum formis Londini quondam edidit, referre: *Procul omni dubiô*, ait, *priſcus annus Iſraeliticus erat partim ad Solis, partim ad Lunæ curſum conformatus, partim verò civili quâdam ratione nonnihil diverſus ab utroque, attamen ità ut ſimul reſpiceret utrumque: Ac ad Solis quidem motum comparatus, quatenus incipiebat ſemper circà vernum æquinoctium; ad Lunares verò rationes accommodatus, tum dierum numero, tum etiam initio ac fine: ità ſcilicet, ut plerunque eſſet circiter 355. dierum, aliàs autem circiter 383. atque omninò inciperet idem circà novilunium. Cæterùm quoad menſuras menſium ſingulorum, videtur civili uſui conformatus: ſiquidem menſes illius omnes, excepto duntaxat uno, apparet habuiſſe tricenos dies. Tandem ſic concludit: Cùm undecim menſes*

Anni

Anni Iſraëlitarum videantur ſemper æquales ac tricenarij fuiſſe, apparet unum, quo fieret æquatio rationũ Lunæ & Solis, fuiſſe in æqualem: qui ſcilicet, cum ei juxtà rationes Solis deberentur quotannis appendices dies quinque ſuprà triginta, ſæpius quidem non ſolùm illis quinque, ſed etiam aliis totidem diminueretur; aliàs verò ultrà triginta dies nanciſceretur damno reſarciendo dies appendices (ὑπερβαινούσας ἡμέρας *vel* ὑπερβαλλούσας *appellarunt Græci*) *viginti tres, aut viginti duas; duobus nimirum menſibus lunaribus in unum eundemq́ menſem civilem quâdam quaſi impage aut inſitione coaleſcentibus. Talem menſem unum, tanto ſcilicet modô contractiorem, modò productiorem cæteris neceſſe eſt fuiſſe in ejusmodi anno, qui & circiter æquinoctium atque novilunium ſemper inciperet, & duodecim menſibus omninò conſtaret, quorum undecim æquales ac tricenarij fuerint.* Hæc ille.

§. 9. Ad objectionem *Quartam* reſpondemus ruditatem ſuam prodere, qui ruditatem populo Dei nimiam, eandemq́; vitioſiſſimam tribuit. Quis enim credat Judæos degeneres adeò fuiſſe Patriarcharum diſcipulos, ut eorum, quæ ab iisdem didicerant, tam brevi tempore obliti ſint prorſus? Enim verò ſit ita, annon Moſes Ægyptiorum artes egregiè callens, rudem populum informare & eruditum reddere potuit? Antea ê vicinitate Perſarum collegit *Keplerus*, Judæos annum Lunarem ab iisdem accepiſſe primùm, cur non ê vicinitate Chaldæorum collegit quoque Judæos in doctrina Chaldæorum exercitatiſſimos fuiſſe? Atque hæc quidem καθ' ἄνθρωπον diſputamus, cum alias penes nos dubium non ſit, potius ab Ebræis Chaldæos, quàm à Chaldæis Ebræos Aſtronomiam didiciſſe. Deniq; ſi Judæi nullam Aſtrorum notitiam habuerunt, eccur ipſe *Keplerus* aſſerit, penes eosdem annum Solarem obtinuiſſe, ipſumq́; Moſen quantitatis anni Solaris tropici exactam notitiam habuiſſe. At ſalva res eſt, motus Aſtrorum notitiâ non carebant Judæi, tunc cum eorundem Respublica maximè florebat, & liberalium artium ſtudioſis refertiſſima erat. Domino *Hainlino* certè hoc nunquàm perſuadebit quispiam qui ſubtiliſſimam Algebraicam artem

Judæos olim quoque calluiſſe, aſſerit, atque adeò eruditionem Judæorum mirificè adſtruit.

§. 10. At *Quintam Domini Hainlini* objectionem reſpondemus (1.) per retorſionem: Hîc hîc ſe Virum præſtet *Dn. Hainlinus*, in comprobando anno ſuo myſtico, 143. diebus abſoluto. Et ſi Judæi ipſi ſuſpecti ſunt, vel Chriſtianum, vel Turcam etiam, barbatum tamen, ut teſtimonium ipſius plus ponderis habeat, aut quemvis alium gentilem producat, qui id legitimô aliquô ſuô teſtimoniô firmet. Vel etiam rationibus agat & doceat:

(1.) *Quibus Tabulis Myſticis Moſes, Joſua & Seniores populi Iſraëlitici uſi fuerint?*

(2.) *An calculus iſte myſticus, in ſubtiliſſimæ Algebræ principiis fundatus, exquiſitius ipſis cognitus fuerit, quam ſibi?*

(3.) *An etiam uni menſi 49. dies & uni anno forſitan 7. menſes tribuerint, quò myſterium eo ſanctius habere potuerint?*

(4.) *Similiter demonſtret quod vel à media nocte vel ortu, vel occaſu, vel meridie menſes & dies myſticos inceperint? &c.*

Niſi enim hæc omnia & plura etiam, quæ nunc ſilentiô prætereo, clare doceat, ſolidisq́; teſtimoniis, vel rationibus firmet, pro puro puto figmento ipſius Calendarium Myſticum jure habebitur.

Reſpondemus verò (2.) Non myſticè, ſed Sophiſticè cum venerando Dn. Præceptore agere Myſtam. Neq; enim de apicibus tabularum Judaicarum uſualium quæſtio erat, ſed de hoc quærebatur, annon Judæi in ordinatione menſium ad Lunam potius, quam myſterium *Hainlinianum* reſpexerint? At quæſtio *Dn. Hainlini* eſt de ſpeciali modo. Fiat Syllogiſmus: Quicunque oſtendere nequeunt tabulas Aſtronomicas, quibus Moſes, Joſua & Seniores uſi ſunt, iſti aſſerere debent Moſen, Joſuam & Seniores adhibuiſſe calculum myſticum. Nobis certè hæc conſequentia nullum myſterium ſapere videtur. Cur non ita? Quicunque oſtendere nequeunt tabulas Aſtronomicas, quibus Græci antiquiores, in Olympiadicis Ludis indicendis, uſi ſunt, illi aſſerere debent Græcos calculum myſticum adhibuiſſe? &c. (3.) Neque verò ignoramus prorſus

ſus

ſus, quibus tabulis Veteres Judæi uſi ſunt; Scilicet fuerunt eædem accuratiſſimæ & multorum annorum experientia comprobatæ. Quis enim de eo dubitet, primos Calendarii Reformatores & Autores, divinitus ad hoc officium vocatos, exactiſſimâ motus ſtellarum notitiâ inſtructos fuiſſe. Quæcunque itaque tabulæ cum motu corporum cœleſtium accuratè conveniunt, eas tabulis Moſaicis reſpondere non dubitamus. (4.) Totum hoc diſputandi genus Hainlinianum Sophiſticum eſſe videtur. Argumenta enim deſiderabat Venerandus Præceptor noſter, non otioſas ejusmodi quæſtiunculas. Quærere quippe Examinantis potius eſt, quam nervosè diſputantis.

§. 11. Poſtquàm verò hactenus de annis Judæorum priſcis probavimus, eos ſecundum Lunæ curſum quodammodo ordinatos fuiſſe, reſtat, ut de ſpecialiori eorundem diſpoſitione breviter quædam addamus. Diſſentiunt autem quam maximè hîc inter ſe probatiſſimi Chronologi, imprimis quod auſpicium menſium, & inter hos primi, Niſan, concernit. Videtur, quod commodè ad duas claſſes eorundem opiniones referri queant. *Prima Claſſis* eſt eorum, qui putant Judæos ſingulos menſes & imprimis menſem Niſan, qui in anno Eccleſiaſtico primus erat, non à novilunio, vel verô, vel medio auſpicatos eſſe, ſed à Φάσει, id eſt à prima Luna, ſeu Lunæ, poſt Synodum primùm apparentis tempore. Atq; hanc ſententiam non quidem ſuam aliquando fecit ipſe *Scaliger*, ſed tantum non pro improbabili prorſus habuit, quando Lib. III. Canon. Iſagogic. (de quibus ipſe in Epiſtola ad *Iſäacum Caſaubonum* data, quæ Opuſculor. pag. 376. extat, ſequens judicium fert: *Quamvis multa Euſebiana nova dabimus, nullius tamen partis amore magis tangor, quàm Canonibus meis, qui, ut Tibi toties dixi, ſunt anima totius operis & induſtriæ, quam in illo argumento collocavimus,*) Comment. in Cap. VI. m. pag. 215. Scripſit: *Igitur Templo adhuc ſtante menſis merè Lunaris Hipparchi in uſum à Judæis receptus erat: quô tempore an Judæi Neomenias à viſione Lunæ, an ex ſcripto, ſecundum modum, ab Hipparcho definitum, inſtituerint, jamdudum Judæi inter ſe velitantur & ad-*

hue

huc ſub Judice lis eſt, tamen ex Talmud conſtat, teſtes integræ exiſtimationis, καὶ ἀμωμήτους à Judicij conceſſu in montana mitti ſolitos, penultima die omnium menſium ad naſcentem Lunam ſpeculandum, ut ex eorum fide Neomenia ſanctificaretur. Et certè major pars priſcorum Judæorum in ea ſententia eſt היו מקדשין על פי הראיה *ſanctificabant Neomeniam ſecundum viſionem &c.* Hactenus Scaliger. Obtinuiſſe verò hoc Φάσεως Scrutinium & huic reſpondens Calendarium, antiquiſſimis quoque temporibus plurimi Chronologi defendere ſatagunt, imprimis *Mœſtlinus, Petrus Crügerus, Dionyſius Petavius, Clariſſ. Dn. Wilhelmus Langius*, aliique. Quibus adſtipulantur paſſim *Judæi*. Ita enim *Maimonides* (qui *Petro Cunæo* Lib. I. de Rep. Ebræorum cap. II. pag. m. 9. luculentiſſimus Scriptor audit, & qui primus, ſolusq; in illa gente rectè intellexit, quid hoc ſit, non ineptire,) in egregio illo opere, quod משנה תורה ſeu repetitionem legis, inſcribit, tractatu de ſanctificatione Neomeniæ cap. I. §. 1. hac de re loquitur: חדשי השנה הם חדשי הלבנה שנאמר עולת חדש בחדשו ונאמר החדש הזה לכם ראש חדשים׃ חכמים אמרו כך הראה לו הקב״ה למשה במראה הנבואה דמות לבנה כזה ראה וקדש והשנים שאנו מחשבין הם שני החמה שנאמר שמור את חדש האביב׃ *Menſes anni ſunt menſes Lunæ, quia dicitur: Holocauſtum menſis in Novilunio ejus. Et iterum dictum eſt Novilunium hoc erit vobis in initium menſium. Quod ita explicant Sapientes noſtri: Sanctus ille benedictus fecit videre, ſeu monſtravit Moſi in viſione Prophetica ſpeciem Lunæ, quæ quando conſpicitur, ſanctificatur. At anni, quos nos computamus, ſunt Solis, quia dictum eſt: Obſerva menſem Abib.* Capite vero V. §. 2. & 3. clarioribus verbis utitur, ait enim, prout verba Latina ex Ebræo transferri poſſunt: *Hoc traditum Moſi de monte Sinai, quocunque tempore Sanhedrin fuerit in terra Iſraëlis, figunt, vel conſtituunt menſem juxta viſionem. Quando verò Sanhedrin ibi non fuerit; conſtituit, juxta calculum, quo nos ſupputamus hodie. Nec opus habent viſione; ſed quotieſcunq; diem conſtituunt juxta calculum hunc, hæc vera*

eſt

eſt Neomenia, ſive viſionem die unô anticipet, ſive poſterior ſit die unô. Incepit verò omnis Iſrael ſupputare juxta calculum hunc, poſt tempora Sapientum Talmudis, cum vaſtata eſſet terra Iſraelis, ut amplius domus judicij illic non ſupereſſet: & hæc vaſtatio fuit temporibus ſapientum Miſchne & Talmud, usq; ad tempora Abai & Rabba. Eandem ſententiam amplectitur *Eliah Ben Moſe, Judæus Scripturarius, qui à Clariſſimo Seldeno* tract. de anno Civili &c. Judæorum cap. IV. ita loquens introducitur סוף דבר חדשי התורה הם חדשי לבנה והטעם חדש הלבנה והראותה בארץ מערב בפי מה שנודע לנו מסבל הירושה ומהקש כח הדבור יבוזה הסכימו חכמים בלם: *Ita plane ſtatuendum eſt, menſes Legis eſſe Lunares, rationemque Novilunij, ſeu menſis initij in Luna ejus phaſi in plaga occidentali eſſe poſitam, quantum ſcilicet intelligere poſſumus ex eis, quæ hæreditario (per interpretationes avitas) accepimus aut diligentius quærendo edidicimus. Atq; hac de re conſentiunt tum Traditionales Judæi, tùm Scripturarij.* Cæterùm deſcribunt quoque Judæi modum, quò olim Φάσεως obſervationem inſtituerint eorundem avi, ſicuti prolixè legere eſt in Miſchne Tract. ראש השנה ſeu de initio anni cap. II. & reliquis, ubi inter multa alia hæc quoque referunt: דמות צורות לבנות היו לו לר״ג בבטבלא ובכותל בעלייתו שבהן מראה את ההדיוטות ואמר הכזה ראית או כזה: *Imagines figurarum Lunarium erant ipſi Rabban Gamalieli in menſa & in pariete & in cœnaculo ipſius, quas oſtendens Idiotis rogabat, utrum hanc ſpeciem vidiſti, an illam?*

§. 12. Etſi verò hæc Φάσεως obſervatio quodammodo intricata fuerit, cum Luna interdum eôdem die, vetus & nova appareat, interdum verò poſt Synodum, ſecundô vel tertio die, idque in diverſis locis diverſimodè, tanta tamen hæc varietas non eſt, quæ nullis præceptis, vel regulis comprehendi poteſt, ex quibus ſcire poſſit, quo die à conjunctione quôvis locô & tempore appareat, uti quidem *Dominus Hainlinus* in Vindiciis ſuis pag. 49. ſcribit, multo minus impoſſibile eſt,

ut in temporibus antiquis, propter hanc Φάσεως Lunarium varietatem, exquiſitam & certam anni Ebraici notitiam habeamus, prout ibidem addit. Quia verò *Dominus Hainlinus* divinare non poteſt, uti ipſe fatetur, & quod in Myſtico Chronologo miramur, unde hanc artem habeat *Venerandus Præceptor noſter*, ut & in remotiſſimis temporibus præteritis ſciri poſſit, quô die Luna poſt conjunctionem apparuerit, ablegamus eum ad Aſtronomos *barbatos*, quales deſiderat *Dnus Hainlinus*, Sunt illi *Georgius Purbachius*, Ejusdemque Scholiaſtes *Eraſmus Reinholdus*, qui in Theoriis Planetarum, mihi à pag. 153. per multas ſequentes, hanc doctrinam prolixè explicarunt; Conferre quoque poterit *Clariſſimi Mathematici Dn. Petri Crügeri* Diatrib. Paſchal. Von rechter Feyerzeit des Jüdiſchen und Chriſtlichen Oſterfeſt. pag. 11. ſeq. *Itemq; Dn. Wilhelmi Langij* Libr. I. de annis Chriſti cap. IX. qui pag. 127. Regulam quandam juxta Scripturarios perpetuam tradit, quæ hæc eſt: *Dato Novilunij veri tempori adde 27. horas cum dimidia, habebis juxta Scripturarios tempus, circa quod neceſſario Luna videri debet.*

§. 13. Ad *alteram Claſſem* referimus eos, qui vel ſecundum motum Lunæ verum, vel potius ſecundum motum medium Judæos menſes ſuos ordinaſſe ajunt. Etſi enim tempore conjunctionis mediæ non tam Luminarium centra, quam Epicyclorum, quibus eadem incedere Aſtronomi ajunt, ſecum invicem conjungantur & in una linea, à centro terræ ad ſupremam primi mobilis intelligibilem ſphæram, ducta, exiſtant, ſuffeciſſe tamen hæc videntur ad Calendarium uſuale adornandum; Imprimis cum horæ in uſu vulgari annotari commodè haud potuerint, quod Exemplo Calendarii Juliani noſtri, quodammodo declarari poteſt, nam & ibi quotannis 6. horarum appendix, quarto quôvis anno compenſanda, negligitur. Atque hæc ſententia non minus, quàm prior Eruditiſſimos eosdemque Celeberrimos Viros Sectatores & Patronos habet, cum communiter ipſi ſummo *Scaligero* adſcribatur, atque ideò à Chronologis, γνησίως Scaligerianis, meritò defendatur.

§. 14. Quia

§. 14. Quia verò intricata hæc eſt controverſia & magna diſſentientium autoritas, malumus Ἐπικρίσεως loco, verbis *Celeberrimi Theologi Dn. D. Dorſchei*, quæ in Diſſertatione de Agno Paſchali §. 22. habet, quam noſtris, uti, atque cum iisdem Diſcurſum hunc Chronologicum finire. *Judæi*, inquit, *menſium initia ê Lunæ obſervatione deducunt. Ut autem obſervatio Lunæ eſſet exquiſita, dicunt, Patres domus Judicij ordinaſſe quosdam, qui naſcentis Lunæ primordia conſpicerent & iis conſpectis, exclamarent, Mekudaſch, Mekudaſch: ſanctificatus eſt, ſanctificatus eſt, poſtea indicebatur turbæ clangore Neomenia. Et vetus illa, obſervandi Lunam novam conſuetudo ſua habet veſtigia in Judæorum monumentis, in Clemente Alexandr. Stromat. Lib. 6. in Turcarum monumentis & aliis Judæorum aſſeverationibus. Sed certum defuiſſe calculum tam ſanctæ genti & non unô artium genere excellentiſſimæ, vix fas eſt credere. Conjunctionem autem non illam veriſſimam, quam ſupputatio Aſtronomica monſtrat, ſed mediam, hominum uſui accommodatam, & illi proximam, acceptam fuiſſe, in ſuo Hibur docent Rabbini. Conjuncta fuiſſe ſubſidia calculi Aſtronomici & viſionis ocularis credibilius eſt: ut eo ſolennior eſſet mutationis Lunaris indictio.*

TANTUM!

Ad Præſtantisſimum

DN. RESPONDENTEM,

Amicum & Conſalinum ſuum colendum.

EST virtutis opus veterum reputare ſagaci
Dogmata conatu: dat documenta ſui.

Hinc rurſus cathedram ſcandis fauſto omine SCHMIDI,
Et pretium ſequitur grande pede properò.

M. Johannes Frimel,
Wittenb.

TEmpora qui docto penſat tentamine, & annos
In digitos mittit, carmina grata meret.
Antiquæ virtutis opus quippe ordine longo,
Hinc ſurgitq; ſui exemplar amore dicat.
Haud igitur vano numeras molimine SCHMIDI
DOCTE annos, numerat præmia Apollo quoq;.

fac.

M. Tobias Engel/
Chemn.